


ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C.DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exteriores civitates:


Alba (cum off. in opp. Canale), Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bengasi (in Cyrenaica), CAIRO (in Aegypto), Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, COSTANTINOPOLI (in Turcarum Imperio), Derna (in Cyrenaica), Fabriano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in opp. Centallo), Frascati, Frosinone, GENOVA, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovi (cum off. in opp. Carrù), Mont-blanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI (in Gallia), Pinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a)* iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; *b)* computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2%, si mensium duodecim; *c)* parsimoniae favendae sub specie, annuo fructu 3.60%, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a)* prescriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b)* mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c)* in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d)* litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e)* exteros numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f)* fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adversandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.



CONSTANTINI PISONI

Pontificia Officina Candelarum ad Sacra

CONDITA AN. MDCCCIII

pluribusque praemiis aureis et argenteis aliisque honoris
testificationibus insignita

ROMAE - Corso Vittorio Emanuele, 127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

Candela ex cera cuiusvis dimensionis, tum simplices, tum exquisitis ornamentis decorae; rigidissimae vel calidissimis caelis resistentes, iuxtaea praescripta liturgica fabricatae, et a S. Rituum Congregatione recognitae.

FACULAE AD NOCTEM, et diurnitate et fulgore unicae, ideoque
iure proprietatis septae.

COMMERCIO EPISTOLARE OMNIBUS LINGUIS HABETUR.

RES AD ORBEM UNIVERSUM EXPORTATUR.



Ann. IV.

A

Premium annua

march. 10

FORNARI

SOC

Qui dies
pacem, quam
guine maden
apud ipsum
inter fratrum
civium anima
cultiores hon
Ecquam aute
progressus v
fideique omni
sed et dexter
ptis nostris fo
sublimius attor
cum procedan
amoris excels

Comitatus
buitur, Patron

PATRONUS
Romae comm
tuito attribuen

Socius in
(doll. 2, 40; st.

Ex hodier
annum placuit
aut externae
obtulerint.

Qui favor
esse confidim
veram, durabil

teras civitates:

Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, Cetona, Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, Fano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in O., Mondovì (cum off. in opp. Carrù), Montinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona, Velletri, Viareggio, Viterbo.

NES ET NEGOTIA.

nine accipit: a) iuxta quotidianas facultate quotidie exigendi usque dierum quatuor, lib. 50.000; pro computationalibus pariter quotidianis, um sex; $4\frac{1}{2}\%$, si mensium duodecim, cum facultate quotidie defensione 300. De maiore vero summa mantem usque ad lib. 5000; ad dies

iones compensat duarum personarum solvendas; idque pro omnibus im ad formam, iuxta italicam legem incia requirentibus subvenit; c) in lib praesidio fundorum publicorum, atae; d) litteras emitit ex credito maxima aguntur; e) exterios numeros in custodiam accipit, pro iisque immariae sunt.

INI PISONI andalarum ad Sacra

N. MDCCCLIII

t argenteis aliisque honoris
bus insignita

127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

lices, tum exquisitis ornamentis,
iuxtaque praescripta liturgica

re unicae, ideoque



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. $4\frac{1}{2}$; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.



SOCIIS ET LECTORIBUS

COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

Qui dies reddituri sunt ad Nativitatis Christi memoriam recolendam, eo magis pacem, quam Ipse in terris nunciavit, invocare videntur, quem orbem cruento et sanguine madentem quarto inveniant. Inveniunt immo hoc anno altricem tellurem et apud ipsam Italiam gentem nostram pressam hostili pede, eiusque incolas hinc inde inter fratrum complexum quaerentes hospitium. Quemadmodum vero patriae calamitas civium animos arctiori vinculo coniungit et componit, sic et universi orbis discrimen cultiores homines cunctos ad universam animorum societatem compellare videtur. Equam autem societatem aptiorem quam almae sub nomine Romae, humanitatis et progressus vere capit is sacrique centri, utpote morum, legum, religionis, sacrorum fideique omnis parentis? Cui quidem operi quum non dare tantum candida cives omnia, sed et dexteram et lapidem iam inde cupierimus, in tristissimis hisce temporibus incoepitis nostris fortiori, quo opus est, erectoque magis animo persistemus, signum nostrum sublimius attollentes, ad ipsumque iterum iterumque non fideles tantum socios ut nobiscum procedant invitantes, sed quotquot dulcissimae matris sermonem, unitatis et amoris excelsum symbolum, audire et persequi malunt.

Comitatus noster - ut alias innuimus, neve repetere grave sit - bifarium distribuitur, Patronorum nempe, et Sociorum.

PATRONUS est qui summam saltem italicarum libellarum centum quotannis *Almae Romae* commentario elargiendam sibi sumpserit; eique ius fit exemplaria aliquot gratuito attribuendi totidem personis a se designandis.

Socius in singulos annos solvit si in Italia libell. 9; extra Italiam ubique libell. 12 (doll. 2, 40; st. 10; rubl. $4\frac{1}{2}$).

Ex hodiernarum autem rerum adjunctis tertiam classem instituere iu proximum annum placuit, **sociorum bene meritorum**; quo in ordine eos recensebimus. qui lib. 25, aut externae pecuniae iis aequantem summam, ad maiores impensas sustinendas obtulerint.

Qui favor huc usque non defuit, eum, quin imo ampliorem, nos prosequutur esse confidimus in annum MCMXVIII, quem bonum omnibus faustum, felicem, quippe veram, durabilem universamque pacem allaturum, penitus exoptamus.

ALMA ROMA.

DE HODIERNO BELLO

FATIDICAE MEDITATIONES

Abhinc annos quindecim, mense, ni fallor, Ianuario MCMII, Varsaviae Polonorum fato concedebat oeconomicarum rerum vir peritissimus non minus quam studio insignis, quo pacem inter omnes homines per vitam omnem prosecutus est, Ioannes Von Bloch. Is librum ediderat *Bellum futurae aetatis* inscriptum, in quo rem per partes acerrimo iudicio suppuntans, tanta colorum vi, tamque verissime futuri belli flagitia horribilesque eventus sub oculos posuit, ut fatidica eius verba atque caelesti quodam mentis instinctu prolatata facile dixeris, quum consideraveris non infelibus hisce nostris diebus, sed tot ante annos, quum quiete omnia sese haberent, ea typis mandata fuisse. Quid referam de mortiferis glandibus sibilantibus invisibles minas, ex perfectissimis tormentis bellicis emissis, apprime enucleatis? Quibus quidem, turmarum virtuti substitutis, a paucis peritis militibus ingentem hostium vim a congressu diutissime arceri posse demonstravit; eoque magis quod ne fumus quidem obstaret, quo antea tuto iudicio ubi iaculantes abderentur facile cognoscebantur; mox - inquit - invisibili ex oppido, ex aere tamquam ignoto fato dirissima mors erumpet, per campos circumvolabit, non aliter plane, quam quum pharetratus Apollo, actus per nubes invisibili curru, in Troadis litore castrametantes Argivos iratis telis petebat.

Paginas item praetereo, in quibus vere decidentium gemitus exaudiuntur, vel morte pallescent ora atrocissime vulneratorum, vel per virentes herbas rubescentes funduntur sanguinis rivuli, aut horrendum in modum dilaniata plumbo hominum ac civitatum membra conspicere datur!...

**

Omnia haec enim bellicum certamen respiciunt in ipsa pugna; sed alia sunt graviora, neque auctori iam tum minus certa; haec rem frumentariam remque pecuniariam spectant, quae hoc bellandi ritu exhausta mox atque consumpta praesensit. Scilicet ob decretum bellum adeo augeri rerum pretia atque excrescere, cibumque populis esse brevi defuturum. Quum enim sive a divitibus, sive a publicis aerariis ubique per suos fines, aut apud peregrinos frumentariae res - ait - ad emptionem exquirantur, illico vicissim qui aut gramina possident, aut pecudes enutriunt, pretia augebunt concordi mente, ut tanta necessitate ipsi improbe ditescant. Supervenient modo angustiae atque obstacula, commerciis praesertim per mare commutandis, quotidie opposita: unaquaque enim natio, emissis circum loricatis navibus, adversae gentis mercatoriae navigia diruere atque submergere conabitur. Tertio in miserum opus pessime coniurabit agricolarum opificumque ab opere cessatio, qui ad signa erunt omnes; nec quisquam iam sulcis laborandis, vel messi colligendae admovebit manus. Rursus evanescent citissime nummi aurei et argentei, iisque sufficietur chartacea pecunia, quam fuse respublicae conficient ad commercia ferenda. Divites fortasse suos passim thesauros ex argentariis mensis resument, quos illae tandem reddere non valebunt, ob gravem pecuniam civitati mutuatam ad bellicas expensas sustinendas, quarum millies milliesque centena millia minimum in singulos populos pretium erit. Equis privatus civis, quae respublica satis opulenta tantam fortunarum iacturam ferat?

**

Ex hisce effici cogique posse autumabat Von Blochius, ut horridi belli dies eorumque gesta a cultis gentibus in aeter-

num arcerentur; neminemque populorum, neminem Caesarum regumque satis audacem esse futurum, qui primus facialis hastam in hostium fines propulsaret.

Atqui si adhuc heu! viveret, nedum

quae fuerat damna et ruinas meditatus confirmata videret, sed quam longissime amplificata maximeque intensa facta; in tanti exitii deterrimam miserrimamque conditionem adductam Poloniam imprimis sibi. dilectissimam consiperet, et Europam omnem quasi amenti furore raptam lentam sibi mortem consiscere. Quinimo non modo verba sua, tam providae doctrinae plena, omni cogitatione destituta, tamquam humanae rationi inutilia, dolenter comprobaret; sed vel misericordiam, fidem, religionem posthabitas, quas summa auctoritate sua imploravit vir ille sanctissimus, qui unus civilibus curis vacuus, neutriusque bellantis partis consilium aut communum quodvis sequutus, sed conscientia commotus supremi officii omnium gentium Parentis communis, itemque filiorum gemitu operam ab eo dictaque pacem conciliantia implorantium; ipsam denique humanitatis atque rationis vocem reddens, iterum iterumque pacem clamabat et poscebat; quin etiam ipsius pacis, et eius aequae ac durabilis, principia in medium proponebat.

O vere aetas, quam provectissima humanitate pollentem arbitrabamur,

*Debilis at, lenisque, gravis vitiisque laborans,
Cernere vix etiam crimina magna potest!*

ROMANUS.

De vero Incarnationis conceptu veraque definitione

Quia hisce diebus Catholica Ecclesia incarnati Verbi festa solemnia gestienti animo recolit, ut, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium

amorem rapiamur, haud abs re est nonnulla de illo venerabili mysterio disserere.

Illa duarum naturarum in unica Verbi persona mirabilis unio diversis vocabulis insinuitur.

Quum inspicitur unio secundum seipsum, dicitur *Incarnatio, Incorporatio, Humanatio*; quum vero attenditur actio Verbi divini naturam humanam ad se evenhentis, dicitur *Assumptio, ἀνάληψις, πρόληψις*; ut innuatur mira Dei sapientia et provida administratio, quae in opere illo maxime eluent, vocatur *Oeconomia, Dispensatio*; quo melius innotescat Christi humilitas et immensa erga nos miseration, dicitur *Exinanitio, κένωσις*; denique, quia est eximia missio ac manifestatio personae divinae, dicitur *Theophania, Epiphania*.

De singulis pauca.

Incarnatio, σάρκωσις, licet non expresse, aequivalenter tamen in Scriptura continetur, utpote derivata ex textu Ioannis: *Verbum caro factum est, σάρξ ἐγένετο*. Usu antiquissimo sacrata est, siquidem usurpat S. Irenaeus, ut verba iam usitata, *incarnationem et incarnatum, σάρκωσιν, σαρκώθεντα*;¹ praeterea in conciliis Nicaeno et Constantinopolitano I sollemniter consecratur.²

Vox quidem aliquatenus deficit, quia caro visui aliiquid genericum et incompletum exhibet; hinc inferebat Apollinaris, Verbum carnem tantum, id est corpus absque spiritu, assumpsisse. Verum ex usu Scripturae liquido constat carnem per synecdochem frequentissime pro universa natura humana usurpari: « Omnis caro corrupferat viam suam; omnis caro ad te veniet; videbit omnis caro salutare Dei ».³ Ceterum aptissima est dictio, qua vividius

¹ S. IREN., III, *Contr. Haeres.* c. XXX, *P. G.*, VII, 939.

² DENZINGER, 54, 86.

³ GEN., VI, 12, *Ps. LXIV*, 2; LUC., III, 6.

prae oculis ponitur descensus Verbi divini, partem etiam hominis infimam sibi unientis, ita quidem ut dicatur non solum homo factum, sed et caro factum.¹

Eadem acceptance usurpatur *Incorporeatio* a Latinis, ἐνσωμάτωσις a Graecis.² At, quia vox nullum conceptum novum addit, et aliunde rem minus acute exprimit, paulatim e theologia exsulavit.³

Adhibita fuit a SS. Patribus, praesertim a S. Epiphanio, vox ἐνανθρώπωσις, *humanatio, inhumanatio*, quo efficacius praecaveretur error Apollinaris, carnem tantum absque rationali anima in Christo fingentis, et aptius exprimeretur Verbum assumptissime humanitatem veram atque integrum.⁴ At hīc etiam subrepere posset error Nestorii, videlicet ipsum hominem subsistentem fuisse Verbo coniunctum. Quapropter vox est iam obsoleta.

Assumptio usurpatur communius pro ipso assumendi actu;⁵ at etiam interdum, in concreto, pro natura assumpta; et hinc vocant humanitatem Christi *assumptionem* egregiam, unctione divinitatis perfusam.⁶

Vox *oeconomia*, a S. Ignatio Antiocheno primum adhibita,⁷ postea vero a Tatiano, Clemente Alexandrino ac deinde communiter a Patribus Graecis, significat providam divinae Sapientiae administrati-

¹ Cf. S. ATHAN., *De Incarn.*, 3, *Contr. Apollin.*, lib. II, 18; P. G., XXVI, 989, 1164; S. AUGUSTIN., *De Civ. Dei*, lib. XIV, c. II; P. L., XLII, 889.

² TERTULL., *De Carne Christi*, c. VI, P. L., II, 809; « Si nunquam eiusmodi fuit causa angelorum corporandorum ». S. BASIL., *Homil. in Ps.*, XXIX, P. G., XXIX, 305. « ἐνσωμάτωσιν τοῦ θεοῦ λόγου ».

³ Sacra liturgia (sequent. *Laetabundus*) vocem illam adhuc retinet: « Verbum eius Altissimi corporari passum est, carne sumpta ».

⁴ S. EPIPHAN., *Haeres*, 30, n. XXVII; P. G., XLI, 452.

⁵ S. GREGOR. NYSSEN., *Serm. antirrhet.*, VII, ss.; P. G., XLV, 1136, ss.

⁶ S. GREGOR. NAZIANZ., *Orat.*, XLV, n. IX; P. G., XXXVI, 633.

⁷ S. IGNAT., *Ephes.*, XVII, 2.

tionem, quae mirabili processu et salutem hominum disponit et omnia regit quae Deum-Hominem spectant.

Kένωσις, exinanitio, a Paulo derivatur;¹ et a multis Patribus, praesertim a S. Ioanne Damasceno,² laudata, innuit Verbum divinum per unionem hypostaticam ad gradum quasi infimum descendisse. At iterum cavadum est ab errore Protestantium illorum, qui *Kenotici* dicti sunt, quique contendunt Verbum sese incarnando formam suam divinam exuisse.

Epiphania denique atque *Theophania* saeculo praesertim IV adhibentur;³ sed conceptus ipse a S. Paulo ingeritur: « *Apparuit gratia, apparuit benignitas Salvatoris nostri Dei* »,⁴ et a S. Ioanne: « *Annuntiamus vobis Vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis* ».⁵

Ex his omnibus colligitur Incarnationem esse vocem usitatissimam et aptissimam.

Definiri potest Incarnatio: « Singularis ac mirabilis naturarum divinae et humanae in unica Verbi persona unio, ex qua resultat Christus Iesus ».

Dicitur *singularis*, quia nullum aliud in toto ordine sive naturae sive gratiae reperitur exemplum; *mirabilis*, utpote miraculum primi generis, in quo habetur supernaturale substantiale. In verbis *duarum naturarum in unica persona mystrium proprie reponitur*, quod duae naturae integrae, absque ulla sui immutatione, in unica subsstantia persona; ita videlicet ut unio sit *personalis*, quin sit *essentialis*. In omni quippe unione substantiali creato ideo resultat una persona, quia una est essentia; in mysterio autem Incarnationis

¹ *Philipp.*, II, 7.

² Cf. S. IOAN. DAMASC., *De Fid. Orthod.*, I, III, c. I; P. G., XCIV, 981, ss.

³ Cf. S. GREGOR. NAZIANZ., *Orat.*, XXXVIII; P. G., XXXVI, 313, ss.

⁴ *Tit.*, II, 11, III, 4.

⁵ *Epist. Ioan.*, I, 2.

una viget persona, licet duae remaneant naturae eaeque integrae, completae.

Vi porro illius unionis, Verbum divinum quadruplici titulo cum natura assumpta coniungitur. Primo titulo *creatoris* ad producendum et conservandum; qua ratione est praesens quidem per substantiam, at non unitur per substantiam. Secundo titulo *agentis supernaturalis* ad producenda et conservanda gratiam et dona supernaturalia; quae unio est mere accidentalis.

Tertio titulo *habitationis*, eo nempe speciali modo, quo SS. Trinitas mentem inhabitat iustum; et haec est praesentia quidem substantialis, nam tres personae sunt secundum substantialiam in anima praesentes, at non est unio substantialis.

Tres illi modi sunt toti Trinitati communes.

Quartus ergo titulus est modus *unionis hypostaticae*, soli Verbo proprius, qui nec Patri nec Spiritui Sancto possit ulla tenus adscribi. Natura humana cum Verbo divino eatenus coniungitur, ut omnes illius naturae proprietates et actiones ipsi Verbo attribuantur, et de ipso dicantur quaecumque in natura humana fiunt, ut nasci, pati, mori. Hinc dici potest: Aeternus nascitur, immortalis moritur; ita ut hic reddatur sensus: Ille idem qui est aeternus et immortalis secundum naturam divinam nascitur et moritur secundum naturam assumptam.

Itaque ex illa unione resultat Christus Iesus. Nam Christus est proprie illa persona unica, quae subsistit in natura divina et natura humana substantialiter et indissolubiliter unitis. Hinc scite et pulchre animadvertisit cl. Laurentius Janssens: « Si enim B. V. Maria nuper de se dixit: *Je suis l'Immaculée Conception*, a fortiori Christus vocari potest Ipsa Incarnatio ».¹

¹ *De Deo Homine*, I, 18.

Quam igitur bonum et iucundum erit hisce diebus Iesum meditari, Iesum ipsam Incarnationem, Iesum ipsam Vitam, quae apparuit nobis, ipsam Gratiam et Pulchritudinem Dei nobis exhibitam,¹ in via Gaudium, in patria Praemium.²

EDUARDUS HUGON, O. P.

DE FESTO NATIVITATIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI

Avete, dies sancti, dies dulcissimi, quibus quotannis mira caeli laetitia perfruimur et pinguedine terrae! Hodie vos alacriori animo salutat omnis terrarum orbis, qui, licet immensa bellorum magnitudine percussus, certa quadam fiducia fretus, pacem se mox divinitus habiturum esse confidit.

Anxius enim exspectat Angelos de caelis adfuturos, ut olim cantantes: « Et in terra pax hominibus bona voluntatis! ». Sat lacrymarum iam matres dedeunt! Adveniat ergo auspicatissima illa memorabilis nox, quae omnium fortunatissima habetur, quod ingemiscentibus hominibus gaudium attulit, eosque ad Dei iterum benevolentiam praegustandam perduxit. Adhuc enim ipsa, quamvis tot sint saecula prolapsa, hominum pectora mira suavitate pertentat, eaque caelestium numerum abundantia cumulare pergit.

Sed quena est ista nox albo signanda lapillo?

¹ « C'est l'apparition de la grâce, de la beauté Jésus, en un mot, est l'amabilité de Dieu, le charme de Dieu mis à la portée des hommes ». ED. HUGON, *Le Mystère de l'Incarnation*, p. 10.

² Cf. PETAVIUS, *De Incarn.*, lib. III, c. I; LEGRAND, *Curs. theol.*, apud MIGNE, t. IX; L. JANSSENS, ED. HUGON, opp. cit.

Rem plane singularem narro, sed veram. Homines enim laetantes quod ob huius noctis adventum multis rerum beneficiis perfrui cooperunt; labentibus annis, quo potissimum temporis spatio accidisset, omnino memoriam eius amiserunt. At nihil prorsus est memoratu dignius! Nulla sane oblivio hanc debuisse delere! Prioris vero Christiani, quum toti essent in die illa laudibus cumulanda, qua Christus a mortuis resurgens, eos in libertatem a daemonum vinculis vindicasset, hanc potissimum celebrare consueverunt, hanc laetitia gestientes pulcherrimam signare, eamque, posthabito Hebraeorum die festo, solemniter prece ceteris diem Domini advocari voluerunt. In hac enim veritate Apostoli in primis adnibantur, ut populorum animi, primum ad christianam sapientiam conversi, ad caelestia spectantes, mortalia omnino contemnerent. Namque illa felicissima aetate, Christi discipuli, immortali apud caelestes mercede confisi, nullis periculis deterriti, vel in maxima atque horribili imperatorum persecutione, parem atroci tempori animum in promptu habuerunt. Hi enim, caelestia unice mediantes, aequabilitatem in omnibus rebus secuti, civium modestiam et christianam dignitatem miscere soliti sunt. Quot senes tenerique pueri, sui securi, constantiae, patientiae, pietatis laude clarescentes, minantis turbae eorumdemque parentum impetum saepe exceperunt!

**

Haud ita multo post et diem fastis celebrare cooperunt, qua Iesus Christus, regnum suis discipulis apud Patrem paratus, ad caelos, sanguinis laurea redimitus, et *devicto mortis aculeo*, iustis antea mortuis concomitantibus, gloriosus adscendit. Mox sacris solemnibus venerari et diem, quo Spiritus Sanctus super discipulos descendit, rati nil gratius I. Christo contingere, quam si videret auctorem gratiae

gratissimo filiorum animo cumulare. Ipso enim afflante, improborum convicia et impotentiam aspernati, omnibus admirantibus, certi cuique se se obiectare periculo, vel ultima quaeque non expaverunt.

Atque ita dies, qua «gentis humanae Sator atque Custos» in hunc mundum venit, nemine vindice, paullatim in desuetudinem abiit.

Haec autem solemnia fuerunt quodammodo semen, quod priores inter credentes deposuerunt, quodque brevi in honorem sanctorum atque in exemplum ad excitandos animos inventum est, ut alacriori studio eos imitarentur. Sicque, haud ita multo post, hoc idem semen in virgultum atque in arborem crevit, sub quo caeli aves se contulere nidumque commodius sibi posuerunt; cultus scilicet et Ecclesiae festa in ordinem se se explicaverunt ad religionis incrementum atque in meliorem formam redigendae. Et quot aves! Quot scilicet viri acerrimi atque intelligentis iudicii, veluti apud ipsum se verterunt, et suavissimo cantu ac mira varietate et pulcritudine mundum recrearunt! Et inter omnes facile princeps Paulus est recensendus apostolus. Poetae, oratores, philosophi, historici, vel primis temporibus, profecti ex omni orbe terrarum, proni in obsequium, hunc Deum profitentur et colunt, et ingenio, linguis, disciplinis, moribus dissoni, divino Numine afflati, in unum consensum coalescunt. Nec eorum numerus abrumptitur!

Quo nomine, ineunte christiano saeculo tertio, Clemens Alexandrinus nonnullos memorat, qui de die scripserunt gloriose Iesu Christi Nativitatis, a quo

incipient magni procedere menses.

**

At mirum omnino videtur, quod de here in unum corpus colligit A. Lupi, doctissimus vir, idemque Jesuita, saeculo XVIII. Atque adeo, postquam veterum memorias tradidit, solemniter concludit, haud deesse

in anno mensem, cui ipsi non attribuerent hunc honorem. Unde enim haec insignis confusio? Omnibus enim liquet ex Evangelio neminem posse conjectura assequi quo nempe die Iesus Christus est in lucem editus: non ex Caesaris iussu, nec demum ex solemnibus, quibus memoria colitur eius nativitatem brumali solstitio mirabiliter advenisse!

Sicque ipse sanctus Augustinus hanc referens sententiam, eam antiquam professus, liberam in medio reliquit.

Haud desunt qui dicant Nativitatis festum ad hanc diem statutam fuisse in locum Paganorum festi, cui erat titulus *Natalis solis invicti*, quod Eliogabalus imperator anno ducentesimo duodecimesimo invexerat et Aurelianus splendidiore cultu auxerat.

Evidem in Iudea et in urbe praesertim Ierusalem, Christiani hac die Nativitatem Christi colebant, quum reapse annus incipit ecclesiasticus. Quo nomine Paganorum festum, aiunt, fortuito tantummodo cum splendidissimis Christianorum solemnibus confertur.

Haec quidem opinio etiam atque etiam pluribus arridet, quum et nos Iesum Christum *Solem iustitiae colamus verum atque divinum*, qui claritate sapientiae universum orbem illuminavit. Hunc enim ducem mundi rectissime appellamus, eique carmina vel profana facile congruunt! Huicuse nempe pueri nascentis, vere atque aptissime est

Imperium terris, animos aequabit Olympo!

Ac propterea:

Candidior semper candidiorque veni!

I. B. FRANCESIA.

.....
Fructus ingenii et virtutis omnisque praestantiae tunc maximus capitur, quum in proximum quemque confertur.

CICERO, *De amic.*

**PRIMI
IESU PUERI AMORES**

ELEGIA.

Ille viden' Puer ad praesepe reclinis in antro,
Suffultus, rigidis molle latus paleis;
Virginis intactae proles, Magnique Parentis
Verbum, Rex caeli terrigenumque salus;
Ut primas sensit fibras in corde micare
Dilexit primo totus amore Patrem.
Dilexitque simul quaecumque paterna voluntas,
Asperiora licet, iam toleranda dabat.
Ecce suo ut placeat Patri sic nascitur Infans,
Nocte ipsa in media dum fera bruma riget,
Dum Boreasque Notusque fremunt, dum pervia
[ventus]
Nascenti rupes exhibet hospitium.
Hic famulos quaeras frustra, cunabula frustra:
Vix tritus pannus membra tenella tegit.
Ista recens nato Iesu satis ampla supellex;
Sic reliquo vivet tempore pauper, inops.
Iam nunc prospiciens gaudet numerare labores,
Quos exantlandos Patris amore cupit.
Iamque et flagra inhiat, spinas, ludibria, clavos
Quae suffigantur brachia parva cruci.
Respicit haec inter Matrem, vagitque; at in illo
Vagitu, quanti pignus amoris inest!
Ah! nimium sentit quae et quanta Ipsius amore
Prædulcis mater vulnera saeva feret!
Sed lacrimas cohibet, cohibet suspiria, mitisque
En vivax roseo promicat ore rubor.
Quin et festivus laetus adspectat ocellis
Ecce iterum Matrem, deliciisque beat.
Utque recumbit humi, protendit blandulus ulnas
Inque ulnas Matris gestit amore rapi.
Excipitur, colloque haerens et suavia libat,
Et quanto cor amans ferveat igne docet.
Scilicet hi primum Iesu nascentis amores,
Sic Patrem ac Matrem deperit iste Puer.
Nec satis: en alius primoque simillimus ardor:
Credite: mortales, nos amat ille Puer.
Credite: nos etiam quamvis nil tale merentes,
Multis et santes heu! male criminibus!
Nos amat ille Puer, miseros nos dilit, atque
Primo felices reddere amore parat.
Gestit morte sua aeternae nos reddere vitae,
Gestit nos superis inseruisse plagis.

¹ Cfr. fasc. sup.

² Mart. Rom., xx Ian.

Salve, care Puer! Quis tanto haud gratus amori
Unum Te penito pectore non redamet?
Certe ego Te cupio totis ardere medullis.
Unum Te enitar certe ego diligere.
Ah! moriar, Iesu, plus Te si quidquid amabo:
Ah! moriar ni aliis Te omnibus anteferam.
Unica, Tu, Iesu, oh! mihi semper flamma fuisses!
Unica, Iesu, esto Tu mihi flamma seni.

JOSEPHUS BONAVENIA, S. I.

**Utrum primis Ecclesiae saeculis
fas fuerit christiano viro
militiae nomen dare.¹**

V.

Sed pro coronide afferre placet probationem ex *Martyrologio Romano* quia per multi ex SS. Martyribus ibi elogiati milites fuere sub imperatoribus paganorum. Seligimus aliquos, ex primoribus: S. Sebastianum scilicet, qui principatum habebat primae cohortis sub Diocletiano² et militiam non deseruit quamvis christianus. S. Eustachius dux militiae ex supremis erat; non tamen militare recusavit post baptismum; imo a Traiano requisitus, postquam male tractatus fuerat, bello praepositus est et victoriam est consequutus. Martyrium tamen subiit (una cum uxore et filiis) hac una de causa, quia diis sacrificare noluit. Et ita faciebant christiani milites: « Offerimus nostras in quemlibet hostem manus, quas sanguine innocentium cruentare nefas ducimus. Dexterae ipsae pugnare adversus impios et iniuriosos sciunt; laniare pios et cives nesciunt. Meminimus nos pro civibus potius quam adversus cives arma sumpsisse. Pugnavimus semper pro iustitia, pro pietate, pro innocentium salute. Haec fuerunt hactenus pretia periculorum. Pugnavimus pro

fide, quam quo pacto conservemus tibi [ad Imperatorem], si hanc Deo nostro non exhibemus? ».¹ Unde S. Ambrosius de militibus sub Iuliano scripsit: « Iulianus imperator, quamvis esset Apostata, habuit tamen sub se christianos milites: quibus quum dicebat: « Producite aciem pro defensione reipublicae », obediebant ei. Quum autem diceret eis: « Producite arma in Christianos », tunc agnoscebant Imperatorem Caeli ». Et Christianos se esse protestabant nec minis et caedibus terrebantur.

In hoc glorioso numero est percebris Legio Thebaea sub Maximiano Imperatore (sex millibus et amplius militum formata), duce S. Mauritio.² Hi ad fidem conversi fuerant opera S. Zabdne Hierosolymorum Episcopi,³ qui non dedit eis praeceptum, neque consilium, ut accepto Baptismo militiam desererent; sed ut Fidem strenue et constanter tenerent. Quod et fecerunt. Nam quum iussi fuerint diis sacrificare, hoc nefas esse protinus responderunt; et Martyres gloriosi effecti sunt!

Et satis nunc verissime dixisse videtur. Adversariorum rationes confutatae sunt, probationes abunde pro nostra thesi attulimus. Ideoque proclamare possumus in ALMA ROMA, « primis quoque Ecclesiae saeculis fas fuisse christiano viro militiae nomen dare ».

JOSEPHUS FAMELI.

THOMAS EDISON

Scripsit de se Horatius: « Paupertas impulit audax, ut versus facerem »; atque Thomas Edison, qui hac nostra aetate, mirum in modum inter summos electri-

¹ GROTHI, *Op. cit.*, lib. I, cap. II, n. 12.

² *Martyr. Rom.*, d. xxii Septembr.

³ MORONI, *Dizionario*, etc., vol. XXX, pag. 76.

cae disciplinae viros nomine percrebret, et inter omnes fortunatissimos inventores facile princeps salutatur, non modo paupertate compulsus, sed hominum insuper improbitate, nova in dies inventa cum omnium admiratione produxit. Atque interea, quod caput est, hoc potissimum avarissimo saeculo, infinitum nummorum fluvium sibi aperuit. Namque si habet cum laudibus illud quod A. Persius poëtis maxime auspicatur: *Euge tuum et pulchre!* ex suis operibus, veluti e ditissimis venis, aurum ille sine fine assidue acquirit.

Iuvat et primas eius rerum cognoscere causas. Natus est anno millesimo octingentesimo septimo et quadragesimo, humili loco, in America quae ad septentrionem posita est, et *Milan* in parvula urbe regionis a flumine Ohio appellata. Puer admodum in viatorum commodum baiulus versabatur in principe peregrinantur statione, et data occasione simul rerum diurnarum commentarios publice legentibus venditabat.

Sed adhuc multum ei tempus est a rebus suis vacuum, quod ipse rerum omnium expers, studiose impendit in quibusdam mentis operumque experimentis. At quadam die, proh! dolor, quum id periculo ei fuisse et rerum nocturno viro illi cui operam dabat, pugnis undique ab eo contusus et manibus pedibusque male vexatus, omnino surdus evasit. Malum; sed haec ipsa contumelia meliorem in modum causa operandi nova fuit. Haud iam aliorum diurna vendit, sed quae ipse composuit typisque suis edidit, suis manibus in peregrinorum commoditatem alacer offert atque communicat.

Sic marsupium crescit, et simul intermissum inventorum opus, quod aegerrime interruperat. *Qualis ab imbre solet percussus nubibus arcus*, ex primo Edisoni opere immensa lucis copia erupit ex lampadibus, quae pendulae per artem stabant ab arboribus hic illic miro artificio con-

sitis ob puerorum oblectamentum cum muneribus die sacra Iesu Christi natali.

Hinc vero uti dies luce meridiana splendescit, omnis illa vis ingenii manavit usque recens progradientis, quae deinceps singulo quoque anno admirantibus populis apparuit.

At paulo ante primum illud commentum invexerat quod *telephonos* ad perfectionem quodammodo perduxit. Tunc vir, qui hoc eius opus maxime adprobavit, ut sibi inventionis tesseram adquireret, eum adolescentem adivit munusque est pollitus. Thomas vero praemii virtutis suae adhuc ignarus, timuit ne verbis plus aequo peteret. Ac propterea diu multumque oculis humi depositis, mente quid peteret haesitavit. Omne denique sibi nimium repugnans, dixit:

— Da quod tibi lubet!

Tunc ille:

— Dabo, — inquit, — quadraginta *dollaro-rum* millia! Satin'est? Placet?

Quum sibi videretur in immensum ingens hoc pretium, haud subito respondit, sed aliqua interposita mora, vultuque composito, ei modeste dixit:

— Ut factum puta. Placet.

Tunc quis illo beatior, quis laetior?

Acceptit trepidis manibus syngrapham quae ei subito oblata est, et festino pede, res mille in mente volutans, ad nummariam mensam contendit. At quum nondum rectas mensarum regulas nosceret, quibus argentarii maxime nituntur, qui ad mensam sedebat, quae sitam sibi pecuniam solvere noluit. Ei iterum syngrapham restituit dicens:

— Haud valet!

Thomas veluti e somno suavissimo excussus, eamque manibus tenens,

... *pectus inaniter angit,*

Irritat, mulcet, falso terroribus implet.

Quid est? Syngrapham haud suo nomine resignaverat; hinc lepide argenta-

rius magnam illam vim pecuniae solvere negavit.

Tandem secretum ipsem novit, et quum iterum se se obtulisset cum syngrapha rite signata, omnia sibi promissa habuit. At argentarius et in hoc iterum recentiori diviti illudere voluit. Namque ei aere rudi mille et amplius *dollaros* numeravit, ob quae perulis omnibus impletis, et sinu recepit nummos, et tot subito pecuniis onustus domum defatigatus rediit.

Quam vere, quam apte, quamque comode esset dicendus verbis parce detortis:

Croesus et est subito qui modo Irus erat!

Constat apud omnes ex illo tempore Edison inventa haud posse iam recenseri. Quidquid enim nos mente possumus reputare, vix ad veritatem assurget: tot sunt rerum diversarum fontes ex uno eius foecundissimo ingenio profecti.

Centum et amplius in hoc tempus adnumerantur huiusc prodigiis hominis inventa.

Dolendum sane quod et saepe hominum improbitas sanctam eius mentem ad malum intorqueat. *O curvae in terras animae!*

Haec mea verba ad *Cinematographum* potissimum spectant, quod prae ceteris admirandum splendidumque reputarem, nisi perversa mortalium pravitate in reprobum sensum novissime retortum esset; omnium iudicio, temporum nostrorum infame dedecus, quoniam id in perniciem convertit, quod esset ad ornamentum atque ad sapientiam.

Quum vero hac nostra aetate quoniam omnis res nautica in maximo discriminе versetur, ob subdolam eamdemque formidolosam submarinarum navium aggressionem, sic ab eius ingenio et cives eorumque socii cupidissime quaerant atque in proximum exspectant, quo tandem modo se se ab hostiis periculo vindicent, et principes

iterum maris Americani et socii, Germanica protervia domita atque profligata, liberrime navibus suis ac tutissime cursitare apud omnia litora possint.

Tunc forsitan et finis bello saevissimo ponetur, et pax in terris inter homines summa erit, qui simul mente manibusque coniuncti ad opera sancta conspirabunt, in commodum gentium atque salutem.

Quod faxit Deus, et primo quoque tempore: nos in grati animi pignus alacres auspicamur atque et mente et manibus feliciter salutamus.

SUBALPINUS.

HYGIENICAE NOTAE

De fructuum usu.

Paucula consilia, quae olim atque obiter ad valetudinem curandam in medium re-tuli,¹ mihi propemodum medici nomen famamque meruerunt. Quot undique litterae! Quot me argumenta rerum et vexant, opprimunt, tundunt et lancinant!

Quid faciam? Quomodo cunctis responderem? Hic enim lingua laborat; ille oculis; omnes stomacho! Oh quot aegrotantium multitudo!

Hac vero nostra aetate, quoniam omnis Europa et prope universus terrarum orbis, ob tetterium horrendumque bellum, morbo omnino novo laborat, inedia scilicet, et omnibus ciborum generibus caret, ad inexploratam propemodum regionem nos velis aggredi debemus, ut facile vitam vivere possimus. Placetne argumentum? Quin personam sumam doctoris, ut dummodo tibi aliquid feram solatii, hic raptim de fructibus loquar, quos latine secundas mensas appellaveris. Nunc *primas* facile

referunt, et fortasse longissimo tempore. Quid enim non impedit haec nostra aetas? Adhuc liber locus est pro fructibus; ad ipsos ergo festino pede hilarique animo accedamus.

Hi nutritunt, simul et valetudinem curant.

Quoniam aevum ipsum me monet, quoniam « vindemia fervet collibus in summis » venio ad *uvam*. Quam enim bona, quamque salutifera; dummodo sit matura! Ipsa suaviter corpus movet, stomachi redundantiam adlevat; et si quis laboret fastidio, per ipsam facile liberatur. Et complures ad uvarum curam passim mituntur.

Recentius vero in quibusdam morbis curandis alii fructus adhibentur. Spiritus enim ex illis volitantes, qui aromata quaedam saporemque expandunt, sunt certe pharmaca quaedam, quae in corporibus agere adsolent; nunc superfluum expellunt, nunc universam nervorum compagem agitant, atque innovant. Quo nomine hos spiritus, quum plerumque in pericarlo inveniantur, cave ne excorias! Eos enim si deglupseris, ut ignare antiquitas perperam facere consuevit, eorum virtutem auferes qua refrigereris, tranquillitatem ac robur perdes. Nonne et nos Itali per compita accipimus:

All'amico pela il fico,

E la pesca all'inimico?

Ut sint maturi omnino convenient; cave itaque etiam ne acerbiores sint aut aciduli!

Ipsis autem praepositis, libere omnino fraga sume, quae suo sapore exquisitissimo articularem morbum vermiculosque curant. Sume prae ceteris montana, quae scilicet in sylvis gignuntur, quaeque doctiores magnis praefuerunt: quia artuum concretiones dissolvunt, acidosque uricos, causamque morborum.

Iracundi imprimis quaerent grossulam, quae admodum potens est in coagulatione sanguinisque obstructionem.

¹ Cfr. an. IV fasc. I et IX.

Idem dicam de rubo ideo, qui diuturnam epiphoram sanat.

Cerasa, si frequentia, cruem renovant atque vivificant, iuvenilem quoque colorem vultui efficiunt, renesque agiliores reddunt; mala armenica qui comedunt, stomachum optime purificabunt idemque accommodabunt. Et primum habet hoc officium omnibusque adprobatur.

Persica vero, grato odore profusa ac suavi, sunt mirum pectori balsamum, et diabeticis praesertim utilia.

Saepe de nucibus quosdam querentes audivi; tu ne sequere exemplum, namque ipsae tussim omnem corrigunt, et quomodo nobis veneno noceant impediunt.

Pepones ipsi, qui tam male apud quosdam audiunt, aptissimi erunt in quibusdam vitae circumstantiis: nunc enim emolliunt corpus, nunc solvunt, nunc diuretici hydropisiam curant, nervos sensusque placant.

Pyra, ad cibos concoquendos maxime apta, optime cum panibus conceduntur butyro adpersis. Malum iis praescribitur, qui diutius renibus laborant.

Mespila sume ne nimis stomachus crescat et doleat. « Mespilaque exarmat pugnacibus horrida membris » scripsit Palaclius.

Assyria malus stomacho est aptior atque lenior; medica insectorum potens adstrictriam vim possidet: mentem fucus acuit pectusque mitigat: dactylus ut ipsa caro nos nutrit, pistacium matribus potissimum lactentibus favet...

Uno verbo, visne bona frui valetudine? Fructus iterum atque iterum comedere. Sed priusquam hisce verbis *de fructibus* finem ponam, patere ut mihi tibique auspicere quod Iuvenalis optime de amicitia describens dicit:

Fructus amicitiae magnae cibus est!

Hoc omne utere mecum, candide lector, ac plurimum vale.

Fr. ANACSI.

“AD CARCEREM”

Titulus hic est novae scenicae fabulae, quam, ex recentiore aetate argomento desumpto, pro *Alma Roma* nuper conscripsit foecundissimus Ioannes Baptista Francesco noster, qui illam nobis nunciavit litteris quae sequuntur:

Ioannes Bosco, sacerdos Taurinensis, natus Castrinovi in Astensibus abhinc centum annos, ad iuuentutem excolendam murum in modum divinitus advocatus, sua aetate sancti Philippi Nerii sanctitatem et iucunditatem renovavit, atque ea praeclara virtutum exempla exhibuit, quibus olim apud omnes Romae Philippus percrebrescebat. Admirabamur singularem eius in pueris regendis potentiam, ut haud semel centenos et centenos unus ordinatim voce ac praesentia sibi facile obtineret. Prae ceteris est sane dignum quod memoraret egregium facinus atque omnibus temporibus laude ad caelum ferendum, quod narrant, ipsum, sine alio humano praesidio, Dei virtute unice fretum suique animi auctoritate, tercentos et aplius iuvenes, iudicum sententia damnatos in peculiari custodia apud aedes quibus erat nomen italicum *la Generala*, quadam die deambulatum duxisse, in virtutis premium, quod ipsi dociles religioni operam sub eius consilio per aliquot dies dedissent.

« Hoc omnis actionis argumentum, quam lubuit versibus senariis conscribere, quamque est in votis fore ut aliquando in scenam prodeat.

« Cur autem pueri Subalpini virique, et quidem tunicati popelli, gravem expolitumque sermonem romanum usurpabunt?

« Paucis me expediam.

« Si quis italice vel gallice rem Romanorum veterem narraret, procul dubio recentiore nostro sermone loqueretur. Sic

ego, modo sed praepostero, rem subalpinam in scenam producens, volui eos inter se hos homines colloqui, atque antiqua uti Romanorum lingua. Quod omnibus placere quoque confido. Valete ».

Novus hic *Almae Romae* appendix cum proximo anno MCMXVIII edetur.

PRO IUNIORIBUS

De urbanis moribus.¹

Neve res a se maioribus gestas immodicis laudibus efferat, neve perpetuo memoret. Hisce enim artibus vel cum adstantibus certare videtur, si nobiles iidem, divites, sapientes sint aut esse gloriantur; vel superbius illis exprobare ignobilitatem atque indigentiam, si infra eius sint conditionem. Quod omnibus quidem displicet. Noli igitur nimis ipse te deprimere aut efferre, sed meritorum tuorum quidpiam potius deme, quam addere. Etenim compertum habeto eos qui extra modum se verbis deprimunt et honores sibi debitos detrectant, longe maiorem superbiam ostendere, quam qui haec sibi indebita usurpant.

Qui spernit quae ceteri appetunt, ceterorum consilium improbare vel contemnere videtur; gloriam vero et honorem tanti a cunctis habitum spernere, idem est ac gloria et honore se omnibus anteferre.

Quisque de se quam maxime sileat; si omnino loqui oportuerit, optime faciet, si vera modeste et simpliciter protulerit. Quocirca alienae gratiae studiosi caveant, ne complurium morem sectentur, qui tanta verecundia de quavis re suam proferunt sententiam, ut pereas audiens.

Molesti item et mendaces nunnuli dicendi, qui ignobilitatem affectantes, quem primum

merentur, locum detrectant; atque non sine difficultate obtines, superius ascendant. Atque si quidam, quum ostium est intrandum, progressi recusant, imo tergiversantur atque retrocedunt, adeoque manibus brachiisque certant, ut tertio quoque gradu cum illis bellum sit. Ex quo patet, officiosos parum a mendacibus differre.

Caeremoniae proprie dicuntur, quae in Deum et sacra fiunt sollemnia; postquam vero homines se invicem putidius atque immodice revereri, heros dominosque appellare, et novis honoris titulis modo incurvi, modo obtorti, modo deflexo capite, modo manus osculantates decorare cooperunt, fuit qui nova apud Italos appellatione *caeremoniam* hanc vocavit novam stultamque consuetudinem; quae misera et depressa inanibus verbis et sesquipedalibus nominibus gaudet. Sunt igitur caeremoniae inanis honoris ostentatio; inanis scilicet, quia reverentiae specie eos prosequamur, quos nullomodo reveremur; attamen, pravam consuetudinem sequuti, « illustrissimos » et « excellentissimos » compellamus, nostra servitutis officia iis interdum offerentes, quibus obesse quam servire malimus.

Itaque caeremoniae non solum mendacia, sed prodiciones etiam et scelera essent nuncupanda. Quum vero haec verba et nomina vim omnem amiserint, atque, ut ferrum rubigine, sic illa usu perpetuo aciem obtuderint, non eodem quo cetera rigore acceperis. Ita autem rem se habere apertissime patet ex quotidianis exemplis; nos enim obvium quemque atque ignotum, cui loquendum sit aliqua de causa, nulla habita eius meritorum ratione, saepius « nobilem » compellamus et « dominum », dummodo veste cultiorem.

Huiusmodi mos igitur prima quidem fronte pulcher, re vanus, specie sine affectu constat, verbisque sensu parentibus. Neque tamen illum mutare licet; sed sectari, quippe saeculi non nostri culpa, cogimur. Verum et in his modus habendus.

Quapropter persuasum habeo caeremonias vel utilitatis, vel gloriolae, vel officii

¹ Cfr. fasc. sup.

causa fieri. Quae vero in suum commodum caeremoniae vel mendacia dicantur, turpis frauds appellandae; nunquam enim honeste mentimur. Cuius quidem fraudis culpandi assentatores, qui se nobis amicos fingunt, atque in omnibus obsequuntur, non ut inde amorem nostrum sibi comparent, sed nobis damnum. Quod quamvis vitium sit forte iucundum, tamen homines probos dederet, quippe execrandum; nam aliis nocere, vel iucunde, nefas.

Restat, ut quidquam dicamus de caeremoniis, tum quae officii, tum quae vanitatis causa usurpantur. Harum primae nulla ratione sunt omittendae; negligi enim nequeunt non modo sine offensione, sed nec sine iniuria.

Qua quidem in re maxima est consuetudinis vis; nec minus quam lex ipsa servanda. Et quamvis alii sint aliorum populorum temporum mores, nostrae quidem hi sunt aetatis, nec disputandum est, utra sit consuetudo melior, sed recentissima potius sectanda quam optima, quemadmodum legibus obtineramus, licet non valde bonis, donec qui summam tenet, eas mutaverit. Quare diligenter tenendae sunt verborum formulae, quibus ex recentiori usu excipiendi, salutandi appellandique pro eorum diversitate homines sunt in regione, ubi habitas, iisque in horum consuetudine utendum.

(Ad proximum numerum).

I. S. P.

ANNALES

Europaeum bellum.

Russorum res inter totius belli eventus in superiore mense primum locum resumerunt. Post varios summa imperii potiundi conatus, qui civile bellum exacuerunt in dies, Finniamque et Ukrainae provincias magis magisque excitarunt ad sua

iura propriasque leges repetenda; quae factio ex Maximalistis, sive Leninistis, aut Bolshevikis nomen sibi effinxit, proposita sua consequi valuit exque gubernio Kerenskium suosque depellere. Obstiterunt hi primum vi et armis, et quamquam nunciatum est ipsos victores evasisse, traditum deinde est pariter, hinc Kerenskium cerni desiisse, inde in vincula fuisse coniectum. Quidquid fuerit, id certum est, Lenini, factionis illius principem, quem natione animoque Teutonem affirmant, a coetu ex Soviet iis constituto, rei publicae fuisse praepositum. Is omnia vehementius miscere et turbare; eoque processit, ut et domi civitatis secreta foedera patefaceret, privatam proprietatem per decretum aboleret, ipsumque poenarum codicem, menti deinde, seu potius arbitrio cuiusque iudicis commissarum; et in bello, ut indutias postularet ab hostibus, qui, proximis diebus insulas quoque Aland occupaverant. Interim novi eidemque necopinati casus apud subversum et infelicem illum populum passim praedicantur. An ex fuga, quam hodie dictitant evenisse, Nicolai, quondam Caesaris, ex captivitate in qua detinebatur, ad Iaponios?...

Itali milites, ne Teutones, ex Alpibus Carnicis descendentes, a tergo ipsos adorinentur, receptum suum ad Plavim flumen perduxere. Ibi autem pristinam virtutem suam omnem brevi receperunt, iamque a pluribus diebus, licet numero ac tormentis bellicis longe minores, et iuxta Asiagi regionem in dorso montium porrectam, quam Teutones superare frustra huc usque conati sunt, et ad praefati fluminis oras hosti, facili Victoria exsultanti, acerrime ita obstiterunt, ut uni in suo itinere eum omnino refraenaverint. Uni, inquam; nam quamvis Galli et Angli copias suas mira sollicitudine in Italorum auxilium miserint, hae nondum in campum descenderunt.

In Flandris Angli Passchendaele oppidum usque progressi sunt; in Gallia autem

improviso impetu productam illam fossam quae « Hindenburgi limen » vulgo nuncupabatur, superaverunt inter Sancti Quintini oppidum et Scarpe flumen Picardiae regionis, iamque in eo sunt ut Camera cum graviter minitentur.

At longe gravius huiusmodi minarum momentum in Palaestina est factum. Quum enim Bir-es-Seba oppidum, montemque Kouveilse ab eo non longe, in ditionem suam Angli, et cum iis Galli Italique, redigissent, terra marique Gazam primum ac proinde Iaffam urbem obsederunt et expugnarunt, ad Ierusalem pergentes. Utinam ille fructus tanti effusi in cruentissimo hoc bello sanguinis fuerit, ut quae loca gesta Christi in terris viderunt, a nativitate ad mortem, eadem a Turcarum perfidia vindicata, in Christianorum potestatem iterum ceciderint!

Kalendas Decembribus MCMXVII.

POPLICOLA.

Omina a laboris nostri socio hīc prolata iam fausto exitu perfecta sunt: die enim X huius mensis Decembbris, Anglicae, Italae Gallicaeque copiae triumphantium more Hierosolymam ingrediebantur. Maximum hunc humanae historiae eventum ALMA ROMA in proximo numero rite satisque concelebrabit.

VACUI TEMPORIS HORA

Proposuistisne aliquando vobis, o Socii Lectoresque mei, quaestionem, curnam postremus anni dies a ceteris anni diebus diversus omnino vulgo videatur? Atqui res ita prorsus se habet. Licet animi fortis erectique homines simus, superstotiosa contemnamus, veteresque atavorum usus, et inanibus religionibus irrideamus, quum pridie kalendas Ianua-

rias pervenerimus, facere non possumus quin dicamus, imo sentiamus omnes, alium annum esse moriturum novumque oriturum, eventualiter istum insolito more esse concelebrandum.

Coenae autem ac propinaciones, quae media ultima hac nocte, fieri solent, omnia in ultima anni hebdomade centies iterata, donorum permutatio, humiles ostiariorum omnisque generis puerorum salutationes, strenaeque quae inde necessario sequantur oportet, omnia haec praeter consuetudinem fiunt, eademque testantur postremum Decembbris mensis diem dissimilem omnino a ceterarum mensium die postremo.

Atque tamen kalendae Ianuariae quid novi afferunt, quid dispar a prima superioris diei luce?

Fortasse vel morbum aliquem ex nimiis libationibus procreatrum; fortasse... marsupium a praediatricibus strenis vacuum heu! factum; fortasse syngrapham aliquam in die solvendam, aut incommodum quod simile. Orbis enim intrepidus in se ipso, tamquam immanis rhombus, et circa solem, veluti circa lumen papilio, volvit; neque minus intrepide amici, qui dicuntur,... sibi invicem male dicunt; et socrus in generorum invidiosam stirpem mussitare non desinit; et credores in morosos debitam pecuniam repetere minime dubitant, neque dubitant pariter obae- rati, quin repetentem molestum mittant ad Acheruntem, sine ullo obolo Charonti, acerbo illi portatori, solvendo.

Verum enimvero certos dies hominum genus persequitur, concelebrat; eosque agit tamquam, ita dicam, mansiones ac stationes ad infinitam aeternitatis vastitatem. Inde fortasse fit ut, neglectis upupae ictibus ab irrumpti futuro tempore arcibus exacti temporis in latis, annorum occasum et ortum in festorum dierum numerum adhuc habeamus, non aliter atque maiores nostri gesserunt; maiores, inquam, illi, quibus ex ferreis viis ignotis, per quas hodie vaporis atque electridis vi trahimur, iter lectica, ferro pedibusque calcantibus faciendum erat. Itaque postremi anni diei hanc vim subiecimus, nempe praeteritum quadam tempus cum dolorum ac tristitiae suo cumulo, cum ipsis, si quae fuerint, secundis rebus iri sepultum; futurosque casus adven-

tare, quos magna boni exspectatione prospicere malumus, potius quam, experientia edocti, falsis rerum imaginibus mentis aciem convertamus, quibus humana in terris vita omnino consita est.

**

Ecquid tamen?... Cedamus igitur moribus, mendosis licet, atque magnae de postremo anni die coenae **fercularum ordinem** aliquem indicemus, pro illis saltem lectoribus, quibus, in tanto humanarum rerum luctu, eas sereno ac tranquillo animo comparare, quinimo comedere feliciter datum fuerit:

*Coactae farinae circuli iuscule incocci.
Foliati carnis pastilli, gallico more fricti.
Capo saginatus elixus cum iure gelato.
Cardui hortenses in cortina sapidi facti.
Lumbus bubulus veru tostus.*

Acetaria italica.

Legatorum crustula, Britannico nomine « Pudding ».

*Poma.**Calida potio ex caffae fabis.**Liquor Canniacus, vulgo « Cognac ».*

Ne, quaeso, inter vina obliscamini *Gallicum Campaniae effervescentes!*

**

Nec, denique vos ego relinquam, qui me per totum hunc annum sequuti estis humanissime, quem non tradidero consilium, hisce praesertim parsimoniae, quos vivimus, diebus, perutile. Est de *calamis ex chalybe servandis*.

In cylindrico vasculo reponatis carbonati potassici frustulum, supraque ipso spongiam, aqua madidam. Quum scribendi finem feceritis, calatum in spongiam immittite. Per alcalinam dissolutionem, impedientem quominus oxydum efformetur, calamus purgabitur, ac proinde ad usum diutissimum aptus fiet. - Id quidem Guyot doctor affirmat.

**

Iocosa.

Inter medicum eiusque clientem.

— Nonne, Aesculapi optime, me cavere iussisti, ne vehementius et improviso commoverer?

— Procul dubio, ad salutem tuam iussi.
— Ecce igitur hanc abundantis tibi debitate compensationis notulam mihi obtulisti?

MAGISTER Tuccio:

— Si pater tuus mutuam libellarum mille pecuniam acceperit, promittens sese mensibus singulis libellas quinquaginta redditurum, quam summam post annum unum debuerit ultra?

TUCCIUS. — Libellas mille.**MAGISTER.** — Nondum igitur arithmeticae elementa novisti?**TUCCIUS.** — Fuerit fortasse; atvero patrem meum apprime novi.**Aenigmata****I***(vulgo Rebus fastidiens).*

AN aabfimnosstu NUM MCMXVIII.

II

Quinque cibant, bis bina volant, tria stant,
[duo pulsant.

(Aenigmata in superiore numero proposta his respondent: 1] *Mel, El. M, L, Me;*
2] *S-anguis).*

IOSFOR.

Monitum.

Sub anni exitum, iterum iterumque « morosos », prouti vulgo dicuntur, Socios invitamus, - eosque cum iis, qui iamdiu commentarium nostrum retinuerunt nec eius pretium solverunt, - ut rationes suas tandem aliquando nobiscum exaequent. Monitum hoc extremum pro nostra tolerantia voluimus, priusquam exactionis mandatum publico demum cursui committeremus; ex cuius expensis resarciendis debitum uniuscuiusque augebitur.

Almae Romae Administrator.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

OMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

INDEX RERUM VOL. IV

(AN. IV — FASC. I-XII)

PAG.		PAG.
	Carmina.	
	Senex sacerdos (<i>F. X. Reuss</i>)	6
	In bellum (<i>A. B.</i>)	29
	In Michaëlem Cervantes Saavedra, a morte saeculo tertio exeunte (<i>F. Piscopo</i>).	47
	De laudibus almae Pacis-Gastrimargia (<i>B. Mantuanus</i>)	52
	Intima parentum gaudia (<i>F. X. Reuss</i>)	68
	Paci exoptatae (<i>A. Aurelij</i>)	84
	Vivax patriae memoria (<i>F. X. Reuss</i>)	105
	Birota velocissima - Mulierum birota velocissima (<i>M. Ricci</i>)	111
	Sepulchrum Ioannis Pascoli (<i>F. Sofia-Alessio</i>)	118
	Benedicto XV P. M. tertium in cathedra Petri annum expleturo (<i>F. X. Reuss</i>)	132
	Ad hirundinem profecturam (<i>R. Castelli</i>)	152
	Ludicra (<i>F. T. Molledo</i>): Mulier fucata et pictor. - Sciolus et puer. - Scurra et currus publicus. - Discipulus et iudex studiorum. - Puer simplex. - Sortilegus et Pauper	171
	Relliquiae (<i>F. Sofia-Alessio</i>)	184
	Primi Iesu pueri amores (<i>I. Bonavenia</i>)	198
	Communia vitae.	
	De muniberis offerendis (<i>Subalpinus</i>)	9
	Lapidatio militaris Romae ludus (<i>A. Fulconis-Iosfor</i>)	32
	De flammiferis (<i>Subalpinus</i>)	91
	Epistolarum commercium	17, 78
	Historica.	
	De Dominiciana familia, ob septimum centenarium ab eius origine (<i>I. B. Francesia</i>)	23
	De beato Baptista Mantuano, insigni poëta latino (<i>F. X. Reuss</i>)	49
	Iosephus Benedictus Cottolengo (<i>I. B. Francesia</i>)	85
	De Festo Nativitatis D. N. Iesu Christi (<i>I. B. Francesia</i>)	195
	Hygienicae notae.	
	De tuenda valetudine (<i>Fr. Anacesi</i>)	8
	De alimentis, quae e frugibus conficiuntur (<i>Fr. Anacesi</i>)	153
	De fructuum usu (<i>Fr. Anacesi</i>)	201

Iuridica.	PAG.	
De iuri canonici origine et progressu (<i>I. Fameli</i>)	43	
De codice iuri canonici recens promulgato (<i>I. Gonzales</i>)	132	
(Vide etiam <i>Roma Sacra</i>).		
Litterae et Philologia.		
De rationibus quae ad latinae linguae cognitionem facilius ducant (<i>Doctor Haver</i>) 3, 22, 82		
Redibitne latinus sermo cultis gentibus universus? (<i>I. B. Francesia</i>)	99, 147, 163	
De certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXVI	104, 116	
De praestantia latinae linguae in re diplomatica (<i>A. Martini</i>)	113	
Varia latinitas: Larii lacus descriptio (<i>I. Bellissima</i>)	125	
De usu abundantiae seu « pleonasmī » apud Iustinum (<i>M. Galdi</i>)	135	
Libri dono accepti	18	
Librorum recensio	58	
Necrologia.		
Henricus Sienckiewicz (<i>Senior</i>)	5	
Franciscus Cerruti (<i>I. B. Francesia</i>)	73	
Gaspar Decurtins (<i>Senior</i>)	103	
Oeconomicae et sociales quaestiones.		
De familia post bellum instauranda (<i>I. B. Francesia</i>)	178	
De hodierno bello fatidicae meditationes (<i>Romanus</i>)	192	
Philosophia ac Theologia.		
De Doctrina Sancti Thomae pleniore emolumento prosequenda (<i>I. I. Berthier</i>)	26	
De speciosa forma in Christo Domino (<i>E. Hugon</i>)	63	
De vero Incarnationis conceptu veraque definitione (<i>E. Hugon</i>)	193	
Pro iunioribus.		
De Chlodaldo narratio (<i>H. L.</i>) 12, 33, 53, 72, 93		
De urbanis moribus (<i>I. S. P.</i>) 109, 141, 158, 187, 203		
Roma Sacra.		
Acta Benedicti XV P. M.:		
Allocutio habita in S. Consistorio d. IV mens. Decembr. MCMXVI	18	
De Pontificio Instituto Biblico novae leges latae	59	
Allocutio [habita in S. Consistorio d. XXII mens. Martii MCMXVII]	78	
<i>Motu proprio</i> de sacri Indicis et S. Offici Congregationibus coniungendis	79	
Codex Iuris Canonici Benedicti PP. XV auctoritate promulgatus	129	
Ex Congregatione Concilii: De provisione officiorum et beneficiorum durante bello.	PAG.	
- Super lege abstinentiae in proxima Quadragesima	39	
Ex Congregatione S. Officii: De manifestationibus spiriticis	144	
Scenicae fabulae.		
Ad Praetorium (<i>I. B. Francesia</i>)	20, 39, 60, 80	
« Ad Carcerem »	97, 130, 161	
202		
Vacui temporis hora (Josfor).		
Pocula	14	
De potatione	15	
Singularis militiae forma	36	
Scriptoriae machinae	37	
Horologium rotis circumactum	56	
Horologium solare	57	
Usus iungendi dexteras origo	76	
Kalendae Maiae in agris	95	
De florū cultu atque usu	96	
Draisina, Bicyclula, Birota	110	
Io Napoleon!	111	
Glacies per aestatem	128	
Ranae mobilantur	143	
Lac ex saccaro spumosum	144	
Peptocistium - Per peptocistium machae- ronii	160	
Bombarda - Arcus busius	175	
De cibis et re coquinaria	175	
De aetate ferrea	189	
Membra hominum venalia	190	
De rheumatismo et arthrite curanda	190	
Postremus anni dies	205	
De calamis ex chalibe servandis	206	
Mensarum ordines	16, 38, 77, 96, 112, 206	
Iocosa	16, 38, 57, 77, 96, 128, 144, 161	
	176, 190, 206	
Aenigmata	17, 38, 57, 77, 112, 128, 144	
	161, 176, 190, 206	
Varia.		
De Cantabrigii et Oxonii Collegiis apud Anglos (<i>Subalpinus</i>)	65	
Franciscus Sofia-Alessio (<i>F. Reuss</i>)	120	
Ex alma rerum natura: Vitis (<i>F. Piscopo</i>)	170	
De Romanorum cursibus publicis deque ho- diernis cursoriis signis, vulgo « franco- bolli » (<i>Senior</i>)	171	
Thomas Edison (<i>Subalpinus</i>)	199	
Vetera et Nova.		
De munimentis castrensis (<i>I. Fornari</i>)	28, 68	
De navibus in profundo mari navigantibus (<i>I. Fornari</i>)	107, 139, 155	

C. DEL VECCHIO